

religiosi ecclesie S. Francisci ad Ripam præferri debeant in celebratione missarum, vel potius sit in libero arbitrio hæredis deputare quoscunque alios sacerdotes? » Censuit juxta votum eminentiss. vicarii « missas esse celebrandas a religiosis S. Francisci. » Quod iterum confirmavit die 12 Januarii 1732. Et instante adhuc hærede, ac proposito dubio: « an sit standum, vel recedendum a decisis in casu, » etc., die 22 Martii 1732, ead. sac. congr. Concil. respondit: « In decisis et amplius; » non obstantibus decretis contrariis allatis ab hærede, in *Romana* 15 Januar. 1639, et in *Maceraten.* 15 Martii 1692. Et idem censuit ead. S. congreg. Concil. in *Mediolanen. celebrationis missarum* 12 Maii 1736, ubi proposito dubio: « An pro celebratione missarum in ecclesia S. Mariæ Paradisi debeant eligi religiosi ejusdem ecclesie, vel potius sit in arbitrio hæredis deputare alios sacerdotes; » respondit: « *Affirmative* quoad primam partem, et *Negative* quoad secundam. » Et hoc non obstante, quod vicarius generalis in civilibus confirmans interpellationem ab administratoribus conservatorii vulgo nuncupati *del Rosario*, declaraverit in sententia auditis partibus edita, eosdem fratres S. Mariæ Paradisi tertii ordinis S. Francisci « desistere debere a celebranda missa quotidiana disposita in ejus testamento a q. Magdalena Galimberta, ab ea die in antea, non obstantibus deductis per dictos Patres. » Et pluries jam sic censuerat ead. sac. congreg. Concil. et signanter in *Romana eleemosynæ missarum* 5 Sept. 1716, in *Regin.* 5 Augusti 1719, in *Bituntina missarum* 19 Nov. 1729. Et quidem sic cum omnirationabili, ac justo fundamento, quia in similibus casibus, non dicitur electa ecclesia solum ratione sui, sed potissimum ratione pertinentiæ ad personas, seu regulares, ita ut potius videantur contemplatæ personæ, quam locus, et potius favore personarum electus sit locus, quam favore ipsius loci, juxta id quod habetur *II Machab.*, cap. v, v. 19, ibi: *Verum non propter locum, gentem, sed propter gentem, locum Deus elegit.* Imo ex hac reflexione alia insurgit potissima conjectura, quod pii testatores, relinquendo missas celebrandas in ecclesiis regularium, ultra sacrificii fructus, voluerint etiam consulere indigentiam eorumdem regularium, ut plurimum mendicantium, et sic uberius suffragium assequi, obtinendo scilicet non solum fructus sacrificii, sed etiam remunerationem charitatis in pauperes religiosos exercitæ, ut in specie observant Pasqualig., *De sacrific. nov. leg.*, tom. II, q. 145, n. 5, adduct. in expositione causæ in *d. Romana oneris missarum*, vers. *At pro religiosis*, apud *Thesaurum resol. sac. con. Conc.*, tom. V, pag. 192, alique plures allegati ad id per Passerin., *discept.* 196, n. 11. Unde, ut asserit eruditissimus Pitonius, episcopus Imeriæ, et Benedicti XIII, *Auditor.*, part. 1, discept. 2, n. 12: « Iniquum videtur quod hæres velit mittere alios

sacerdotes ad celebrandum in aliena ecclesia, illisque dare eleemosynam manualement, quando hujus eleemosynæ capaces sunt ipsi fratres (id est Minores de Observantia de quibus ibi loquitur) et veniunt præferendi omnibus extraneis, tum ratione præcepti testatoris, tum ratione loci in quo existunt, juxta text. in can. *Quia sacer.* 13, caus. 10, q. 1, Rot. Rom. in *Placent. præsens collegialit.* 20 Jun. 1693, § *Præcipue, coram R. P. D. Scotto.* »

(24. In suis ecclesiis non licet regularibus admittere sacerdotes sæculares ad missam celebrandam contra prohibitionem episcopi. Sac. congreg. Concilii in *Bononien.* 2 Junii 1620, et in *Limana* 29 Januar. 1633.

(25. Et sacristæ, seu præfecti ecclesiarum regularium adstringi possunt ad non permittendam celebrationem sacerdotum sæcularium, nisi exhibita ordinarii licentia. Sacra congreg. Concilii in *Neapolitan.* 17 Augusti 1630.

(26. Presbyteri, qui capellani non sunt, possunt prohiberi ne accedant ad celebrandum in ecclesiis monialium etiam regularibus subjectarum, vel alias exemptarum, quia talis accessus pertinet ad custodiam clausuræ, super qua episcopus invigilat et jurisdictionem indiscriminatim exercet, ut respondit sacra congreg. Concil. in *Hieracens. Visitationis* 26 Januar. 1692, in responsione ad septimum. (27. Capellanus autem sufficit, quod approbetur a superiore monasterii, ut in *dicta Hieracensi* in responsione ad nonum.

(28. In ecclesiis monialium non debent regulares celebrare missas absque licentia episcopi, et si in illis ex dispositione testatoris onus habent celebrandi, onus transferatur ad eorum ecclesiam, prout, laudando provisionem, sacra congregat. Episcop. et Regul. rescripsit patriarchæ Veneto 15 Junii et 8 Augusti 1592.

(29. Missa non est celebranda in ecclesia polluta; cap. *Proposuit*, ac seq., *De consecratione ecclesie.* Hinc Rubricæ missalis, titulo *De defectibus in ministerio ipso occurrentibus*, sic habent: « Si, sacerdote celebrante, violetur ecclesia ante canonem, dimittatur missa; si post canonem, non dimittatur. » Incipit autem canon post dictum *Sanctus* ab illis verbis: *Te igitur, clementissime Pater*, etc. (30. Celebrans vero in ecclesia polluta, licet peccet graviter, nullam tamen censuram vel irregularitatem incurrit, cum hæc in jure statuta non reperiatur.

(31. Missa non est celebranda in loco interdicto; et ibi celebrans fit irregularis: c. *De clerico excommunicato*, cap. *Postulastis*, § *Quæsvistis*, *De sentent. excomm.*, in 6, c. *Is qui*, § *Is vero*. (32. Nec potest celebrari in loco in quo sepultus est paganus seu infidelis, cap. *Ecclesia*, *De consecr.*, dist. 2.

(33. Nec ubi sepultus est excommunicatus vitandus, juxta illam regulam: « Quibus non communicamus vivos, nec communicemus defunctis, » cap. *Sacris*, *De sepulturis*. (34. Poterit tamen ibi celebrari, si inde extrahatur cadavera, et ecclesia consecratur vel

benedicatur. *De consecratione, c. Ecclesiam*, in qua 27, dist. 1.

(35. Missæ in ecclesiis regularium, istis renuentibus, celebrari non possunt a capitulo. Sac. congregatio Concil. in *Nullius Castellane* 29 Augusti 1722 et 30 Januar. 1723, apud Ursayam in *Miscellan. sacro et profano*, lit. M, num. 231.

(36. Missæ celebrandæ ex eleemosynis a confraternitate collectis, debent in ecclesia ejusdem confraternitatis non autem in parochiali celebrari. Sac. congreg. Concil. in *Bononien.* 15 Maii 1728, ad 12 dub.

(37. Missæ celebrandæ sunt in ecclesiis per testatorem designatis, sub pœnis arbitrio ordinarii. Sac. congreg. Concil. in *Bergomen.* 10 Julii 1728, ad 2 dub.

(38. Si autem a testatore relicta fuerint missæ absque specificatione ecclesie, in sepulchrali ecclesia celebrari debent. Abbas, consil. 99, per tot., lib. II; Pasqualig., *Desacrific. novæ leg.*, quæst. 100, sub. num. 7, et seq.; Rodriguez, *Quæst. mor.* tom. IV, cap. 151, verb. *Missæ*, sub. num. 3. Idque obtinuit, tum quia illa ecclesia supra cæteras, utpote magis correlativa ad animam defuncti, prædicta censetur. Ventrigl., in *Prax.*, qu. 2, annotat. 28, § 1, sub. num. 34; Tiraquell., *De privileg. piæ caus.* q. 17, sub n. 16; Mantica, *De commut. ult. volunt.*, lib. VIII, tit. 9, sub n. 6. Tum etiam summæ æquitatis suadet ratio, ut illa ecclesia, quæ sustinet servitutem sepulturæ, exinde celebrationis missarum sentiat commodum, ut pluribus relatis dixit Rota in *Romana celebrationis missarum coram Calcagnino* 15 Junii 1732, apud Scarfantonium in *Ceccoperium*, part. III, in fine dec. 22, sub n. 4 et 5, et a num. 30 ad 32. Et ad hoc facit aperte constitutio novissime edita a Benedicto XIV incip. *Quanta causa* per extensum allata supra art. 2, num. 16.

(39. Missarum celebrationem debent sacerdotes in libro in sacristia asservato scribere. Sac. congreg. Concil. in *Maceraten.* 14 Maii 1729, ad 2 dub.

(40. Missæ in ea ecclesia et loco celebrari debent, in quibus voluerunt ii qui eleemosynas erogarunt; Benedict. XIV, cit. constitut. 22, § 2, ubi dicit quod in illa potius ecclesia missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulus ductus eleemosynas confert; aut in qua quispiam fortasse tumultus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota.

(41. Missa extra ecclesias celebrari nequit extra casum necessitatis. Idem constitut. 89, incip. *Inter omnigenas*, § 22.

(42. Missa celebrari permittitur cum opportunis cautelis super triremibus militiae S. Joannis Hierosolymitani. Idem constitut. 41, incip. *Exponi*. Vide verb. *HIEROSOLYMITANI MILITES*.

(43. Item super triremibus Pontificiis. Idem constitut. 25, incip. *Exponi*.

(44. Quamvis a sacra congregatione sæpius decisum fuit, in oratoris publicis situs intra fines parochie, juris non esse parochi prohibere ne missæ celebrentur ante mis-

sam parochialem; si tamen episcopus in synodo id prohibeat, ne populus retrahatur a missa parochiali et concione, constitutio illa valet, et episcopo parendum est. *De synodo diæc.*, lib. XI, cap. 14, § 7.

(45. In oratoriis privatis in quibus pro infirmo conceditur unica missæ celebratio, die Natalis Domini fas est tres missas ab eodem sacerdote celebrari, ut ex decretis S. congregationis. Idem Bened. XIV, *De sacrif. missæ*, lib. III, cap. 4, § 8.

(46. Episcopi, quanquam non habeant amplius facultatem concedendi licentiam ut in oratoriis privatis celebretur, adhuc tamen possunt in suis domibus privatim oratorium habere, et permittere aliis sacerdotibus ut in eo celebrent; ut ex decretis sac. congreg. *ibid.*, cap. 6, § 2.

(47. Hæc etiam celebratio præstari rite ibidem potest etiam absente episcopo; atque ibi audientes missam quicumque fideles præcepto ecclesiastico satisfaciunt. Denique, quod hic dicitur de episcopis, valet etiam pro cardinalibus non episcopis. Animadvertendum est tamen valere hæc pro oratoris episcopi in suis domibus, in quibus certus fixusque locus est assignatus. *Ibid.*, § 6.

(48. Si missa omnino celebranda sit, nec possit in templis, vel etiam in oratoriis privatis, licet illam celebrare in loco non indecenti, quicumque tandem ille sit, ut planum fit exemplo capellanorum in castris, eorum etiam, qui per infidelium regiones iter faciunt, et etiam in littore maris respectu navigantium. *Ibid.*, § 7.

(49. Ut celebretur missa in mari peculiare privilegium requiritur, nec sufficit clausula generalis, qua facultas fit celebrandi *in loco honesto et tuto*. Non conceditur autem, nisi cum conditione ut tutum sit navigium, longe absit a littore, tranquillum sit mare, ac tandem assistat celebranti alter, vel sacerdos, vel diaconus. *Ibid.*, § 8.

(50. In templo polluto celebrans sacerdos, quamvis peccet graviter, ut ex cap. *Is qui*, *De sent. excomm.*, in 6, nullam tamen pœnam incurrit, cum nulla sit in jure expressa, quin nec desunt qui credant eum minime peccare, si adsit episcopi consensus. Vicissim autem irregularitatem Summo Pontifici reservatam incurrit, qui in loco interdicto celebrat, ut ex eod. cap. *Is qui*, *ibid.*, c. 7, § 4*.

ADDITIONES EX ALIENA MANU.

(51. Plures hic quæstiones expendendæ sunt de capellano, qui celebrare haud valet in loco a testatore designato; quæritur primo an celebrare alibi teneatur? Teneri sentiunt Hurtad., part. 1, *Resol. moral.*, tract. 2, cap. 4, resol. 11, n. 103, et seq.; Monet, *De commut. ult. volunt.*, cap. 10, quæst. 5, n. 242. (52. At alii ita distinguunt, quod videlicet, si testator voluit applicationem, teneatur alibi celebrare, si autem cultum ejus altaris, aut commodum populi voluit, nequaquam celebrare alibi teneatur; Barbos., *De offic. et potest. episc.*, part. 1, alleg. 24, n. 35; cardinalis Lugo, disput. 21, *De eu-*

charistia, sect. 18, versicul. *Si tandem*. (53. Standum et ego censeo huic distinctioni, dummodo tamen clare constet, quod cum testator voluit cultum altaris, commodumve populi, noluit applicationem; idque potest testator velle simul, nempe cultum altaris, vel commodum populi, et applicationem; Pasqualig., *De sacrif. miss.*, tom. II, quæst. 1147, n. 4, qui una docet quando clare constare dici possit voluisse testatorem applicationem.

(54. Secundo quæritur an obligatio celebrandi missam quotidianam in ecclesia regularium, sequatur ipsos, si se transferant ad aliam ecclesiam? (55. Sequi tenent, et quidem etiamsi fuisset expressa ecclesia, cum nomine proprio, et absque expressione pertinentiæ ad regulares, imo etiam cum verbis personalitatem denotantibus: Marchin., *De sacram. ordin.*, tract. 3, part. II, cap. 24, n. 3; Pasqualig., *De sacrific. miss.*, tom. II, quæst. 1144, n. 1, et plur. sequent., ubi quod id quod dictum est de ecclesia regularium, locum habet in quovis alio collegio, seu communitate, cui idem onus sit injunctum.

(56. Tertio de capellanis erectis in ecclesia regularium, quæritur an transferantur ad aliam ecclesiam, quando regulares mutant ecclesiam? (57. Videndum an capellania sit sæcularis, necne? Si sit sæcularis, rursus videndum utrum ecclesia, in qua est erecta capellania, sit erecta absque ullo respectu ad regulares, an cum respectu ad ipsos. Priori autem casu non transfertur; posteriori vero casu transfertur. Si autem capellania non sit sæcularis, indistincte transfertur; Pasqualig., *De sacrific. miss.*, tom. II, quæst. 1146, per tot.

(58. Quarto quæritur an disponente testatore, quod missa celebretur in altari devotæ alicujus imaginis, possit in alia ecclesia celebrari, si in quibus est commissa celebratio, ad aliam ecclesiam se transferant? (59. Sunt qui autumant quod si transferatur imago ad novam ecclesiam, transferatur et celebratio missarum; si autem non transferatur imago, nec transferatur missarum celebratio; Hurtad., tom. I *Resolut. moral.*, tract. 2, c. 2, resol. 9, n. 100.

(60. Hanc vero opinionem amplectendam sustinet Pasqualig., *De sacrific. miss.*, tom. II, quæst. 1145, si testator primo disposuit, quod missa celebretur in altari, in quo speciali cultu imago aliqua colitur, et deinde onus celebrandi imposuit regularibus, aliisve, ad quod pertinet ecclesia, non item si contemplant inservientes ecclesiæ, ita ut in eorum personam sit directum legatum missarum, et destinatio loci sit adjecta in devotione disponentis erga aliquam imaginem.

(61. De quæstione demum quam tractat auctor a n. 21 ad plur. sequent., videlicet an missæ celebrandæ in ecclesia regularium debeant ab ipsis celebrari, exclusis sacerdotibus ab hærede deputandis, aliquid etiam dicendum. (62. Male autem auctor abso-

lute sentit celebrari eas debere a regularibus. (63. Distinctio enim in hac materia recepta est, quod aut legatum celebrationis missarum directum est in ecclesiam, ut si ecclesiæ ipsi relicta sit aliqua summa pro missarum celebratione, et nullo in hoc casu hæres pollet arbitrio deputandi sacerdotes pro celebratione missarum. (64. Aut vero legatum celebrationis missarum directum est in hæredem, ut puta si hæredi injunctum sit ut missas in ecclesia illa celebrari faciat, et in hoc disparato casu in ipsius hæredis libertate est deputare sacerdotes, pro missarum celebratione, ut distinguit cardinal. de Luca, *De legat.*, discours. 25, fere per tot., et hanc distinctionem secuta fuit sac. congregatio Concilii in *Taurinen. celebrationis missæ quotidianæ* 20 Maii 1752, ad primum dubium.

RESPONSIO AUCTORIS.

Additor hic sub n. 62 dicit: « Male autem auctor absolute sentit celebrari eas debere a regularibus, » et asserit, receptam esse distinctionem, quod, aut legatum celebrationis directum est in ecclesiam, ut, si ecclesiæ relicta sit aliqua summa pro missarum celebratione, et tunc hæres non potest deputare sacerdotes: aut vero legatum celebrationis directum est in hæredem, ut puta si hæredi injunctum sit ut missas in ecclesia illa celebrari faciat, et in hoc casu est liberum hæredi deputare sacerdotes sibi benevisos. Ast cum bona venia D. additoris, non videtur sic recepta asserta distinctio, ut clare patet ex contrariis decretis sac. congreg. Concilii allatis a me, *loc. cit.*, n. 23, et signanter in *allata Romana oneris missarum* 17 Novembr. 1731, ubi quamvis legatum celebrationis missarum directum esset in hæredem, hoc non obstante, sac. congreg. juxta votum eminentiss. vicarii censuit, « missas esse celebrandas a Religiosis S. Francisci. » Quod iterum confirmavit die 12 Januarii 1732. Et instante adhuc hærede, ac proposito dubio: « An sit standum, vel recedendum a decisio in casu, etc. » die 22 Martii 1732. eadem sac. congreg. Concil. respondit, « in decisio, et amplius, » non obstantibus decretis contrariis allatis ab hærede in *Romana* 11 Januarii 1639 et in *Maceraten.* 15 Martii 1692. Quæ particula « et amplius » denotat quod omnes emin. cardinales fuerunt in decisione concordēs, et quod quum materia, seu causa de se clare pateat, non sit amplius proponenda, ut explicat et declarat cardinalis Lambertinus, postea Benedictus XIV, vol. III, notific. 14, p. 163, editionis Bononiensis. Ac pariter legatum erat directum in hæredem in *allata Mediol. celebrat. missar.* 12 Maii 1736, et tamen eadem sac. congreg. Concil. respondit, « pro celebratione missarum non esse in arbitrio hæredis deputare alios sacerdotes, sed esse eligendos religiosos ejusdem ecclesiæ. » Et hoc non obstante, quod vicarius generalis in civilibus confirmans interpellationem administratorum conservatorum vulgo

nuncupati del *Rosario* declaraverit in sententia, auditis partibus, edita, Fratres S. Mariæ Paradisi tertii ordinis S. Francisci desistere debere a celebratione missæ. Et sic pluries jam censuerat eadem sac. congreg. Concil. et signanter in *Romana electionis missarum* 5 Septembris 1718; in *Regien.* 1 Augusti 1719; in *Bituntina missarum* 19 Novembris 1729, et sæpe alibi. Nec tam evidens est, quod sacra congreg. Concil. secuta fuerit absolute assertam distinctionem a D. additore in *Taurinen. celebrationis missæ quotidianæ*. 20 Maii 1752, jam allata a me, ubi sac. congreg. Concil. respondit quidem ad primum, « negative quoad primam partem, affirmative quoad secundam, » sed cum addito; « et ad mentem, et mens est, quod præferantur oratores Dominicani in casu de quo agitur: » quamvis ipsi Patres Dominicani sua jura non produxissent, ut refert eminentiss. Furiellus tunc secretarius dictæ congregationis in expositione dictæ causæ. Ibi: « a Patribus Dominicanæ familiæ nihil

(69) *Nota editorum Casinensium.* — Benedictus XIV, quem sacre congregationis Concilii mentem minime latuisse compertum est, id sane docere videtur, prolato etiam decreto præfat. S. C. Concil. in causa S. Miniati, 16 Novem. 1685, nempe quoties testator legatum reliquerit pro missis celebrandis in aliqua regularium ecclesia, per sacerdotem ab hærede, vel legatario designandum, hunc etiam sacerdotem seculari pro hujusmodi celebratione bene uti posse, absque eo quod regulares talis ecclesiæ præstare valeant, id juris celebrationis dictarum missarum sibi competere, sacerdote sæculari posthabito. En verba prælaudati Bened. XIV.: « Cum pius fundator jussisset, ut aliquot missæ quotannis pro expiatione animæ suæ celebrarentur in quadam regularium ecclesia, ab eo sacerdote, quem suus hæres, sive legatarius designasset; cumque hic vellet presbyterum sæcularem eligere, exhibens tamen regularium sacrario quiddam opus est, et conferri solet pro consumptione sacrorum utensilium, aliisque expensis ad missarum celebrationem necessariis: orta hinc fuit occasio, ut in causa S. Miniati, proposita die 13 Novembris 1685, sequentia dubia efformarentur, et dirimenda proponerentur: « Primo, an legatarii possint deputare sacerdotes sæculares, qui missas a testatore præscriptas celebrent in ecclesia regulari, præstita conventui congrua contributione pro usu sacrarum indumentorum, et aliis ad celebrationem missæ necessariis. Secundo, an dicti regulares, præstita eis contributione præfata, teneantur præstare patientiam, ut prædictæ missæ in eorum ecclesia celebrentur. Tertio, an casu, quo regulares ex rationabili causa id negent, liceat legatariis onus missarum in alia ecclesia arbitrio ordinarii impleri facere. » Et ad omnia (prosequitur Bened. XIV) affirmativum redditum fuit responsum; quod quidem consentaneum est iis quæ adnotavit cardinalis de Luca, *De legatis*, discus. 25, *De synod. dioces.*, lib. XIII, cap. ult., n. 7.

Præterea quoad id quod auctor tenet, sub n. 25, h., art. nempe. *Novissime* S. congr. censuisse in missarum celebratione preferendos sacerdotibus extraneis esse regulares, cæterosque sacerdotes, in quorum ecclesiis ea peragi debet, afferens ad id nonnullas ejusdem S. congr. resolutiones, notasse licet, prælaudatam S. congregat. circa ea tempora, quando antedictus auctor dicit *novissime*, in contrariam abiisse sententiam, ut signanter in *Papien. oneris missar.* 28 Novem. et 16 Decemb. 1755; in

habuimus. » Unde in hoc rerum statu judicent æqui rerum æstimatores, quis male senserit, an D. additor, vel ego Lucius auctor sub dict. n. 23, tot solida fundamenta pro mea conclusione adducens. Equis non videat, si esset recepta a sac. congreg. illa asserta a D. additore distinctio, quod nullæ amplius similes causæ proponerentur? Regulares enim illi, in quos esset directum legatum, relicta eis aliqua summa pro celebratione missarum, ipsas possent sine ulla contradictione libere in sua ecclesia celebrare. Alii vero, in quos non esset directum legatum, sed potius directum esset in hæredem, nulla eis relicta summa pro missarum celebratione, jam nulla ratione possent præstendere earum celebrationem: sicque undequaque ex utroque capite cessaret motivum proponendi in sac. congreg. similes causas; et tamen in dies passim proponuntur, ut videre est in *Thesaurio resolution.* dictæ sacre congreg. Concilii (69).

Melevetano celebrationis missarum, 8 Maii 1754, prout legere est in *Thes. resol. S. C. Conc.*, tom. VI, p. 171, 185, 260. Cujus poster. resolutionis mentio fit in *Tiburina celebrationis missarum*, 10 Sept. 1755, cit. thes., tom. 7, p. 107, in considerationibus EE. PP. d. congr. utrinque submissis, ubi etiam Rotæ dec. 294, p. 9, rec., contra mentem auct. affertur, et consimile prodit responsum. Adeo ut concludi posse videatur, etiam ex iis quæ Benedictus XIV docet loco modo relato S. congregationem Concil. quoties censuit, rectores et regulares, in quorum ecclesiis missarum celebratio peragenda esset, preferendos extraneis sacerdotibus, respexisse fortasse ad particulares circumstantias et rationes; vel quia prælati nimirum jam inde ejusmodi missas in suis ecclesiis solebant celebrare quarum celebrationem postea hæredes testatoris, alique ad quos spectabat hoc onus implere nulla rationabili interveniente causa, extraneis sacerdotibus committere voluissent; quod quidem argui posse videtur ex resolutionibus in *Bituntina missarum* 19 Novembris 1729, et in *Mediolanen. celebrationis missarum* 12 Maii 1736 (quarum resolut. auctor meminuit), prout videre est in prædicto *Thes. resol.*, etc., tom. IV, 551, 559; tom. VII, p. 206, 208, vel ad alias legit. causas et considerationes.

Imo notatu dignum est in citat. causa *Papien. oneris missarum*, nullam habitam fuisse rationem centum et septuaginta annorum, quibus Fratres Reformati, etc., missas, prout in specie, celebraverant, quippe in actibus facultativis nulla oritur ex longævo tempore obligatio.

Auctoritatem denique Pitonii quod attinet, perpendat lector oportet, hunc el. scriptorem attigisse casum, quod nempe ex conceptis, et expressis verbis testatoris, missæ aliquot celebrandæ essent per designatos regulares in capella juris patronatus ipsius testatoris sita in ecclesia talium regularium: proindeque rite Pitonium conclusisse secundum verba et rationes a Lucio nostro relatas.

Nisi forte (salva Bened. XIV allata auct.) illud potius inferre velimus, S. congr. ex peculiaribus circumstantiis in hujusmodi causis rescripta edere satius putasse, absque eo quod ad modum regulæ hoc, illudve ejusdem S. congr. responsum sit invocandum, prout ex decreto prælaud. S. congr. in *Ariminen. celebrationis miss.* 15 Febr. et 12 Mart. 1757, tom. XXVI cit. *Thes. resol.*, etc., colligere fas est.